

[Faint, illegible handwriting on a blank page]



32.

84

2323

J. J.
DE

ANGELIS.

PRÆSIDE


JOHANNNE *Riemer* /
P. P.

Disputabit

A. R. S. M. DC. LXXIV.

JOHANN PHILIPP SCULTETUS,

TORGAV.
A U T O R.



LEUCOPETRÆ,
Literis JOHANNIS BRÜHLÆI.



V I R O

Maximè Reverendo, Amplissimo Excellentissimo
DN. PAULO HOFFMANNO,

SS. Theol. D. celeberrimo, Ecclesiae Torgensis Pastori, ejus-
demque Dioceseos Superintendenti meritissimo, ut &
Capituli Wurzensis Praeposito gravissimo.

Nec non

*Nobilissimis, Consultissimis, Experientissimo, Am-
plissimis & Prudentissimis VIRIS*

**DNN. CONSULIBUS, JUDICIBUS, & re-
liquis SENATORIBUS** Reipublicae Torgensis cele-
berrimae laudatissimis.

**Dominis Mecoenatibus & studio-
rum suorum Promotoribus summis ad cineres
usque devenerandis.**

theses hasce

*in sui suorumque studiorum promotionem
submissa animi veneratione*

offert

A U T O R

R E S P O N D E N S.

JOHANNES KECKER / Log. & Met. P.P.

ad suum SCULTETUM

Hæctandem, Docte Scultete, vera egregii animi insignia sunt, quæ ingeniorum excellentiam, seculis nostris haut intermoriturâ reddunt, scilicet, nō terram tantum terræq; partem, quod pecudum est, spectare, sed sursum etiam interdum meditari, cælumq; tueri. Itanè ergò rerum naturalium, earumq; formarum substantialium turpis ignorantia ingenui est Philosophi? Dedecus certè & turpitude, quib; labor & curiositas optima esse posset medicina, nisi temeritatis damnatæq; insolentiæ studium, nobili scientiarum corpori irreparabile influxisset vuln; . Majorem verò nobilioremq; in Te, mi Scultete, auguror animum, qui corporeis creaturis sepositis, res, hominum sensus excedentes, angelos, subjecisti prælo. Quàm verò eximia intimæ virtutis tuæ documenta præstiteris ipso, rei testabitur evidens harmonia. Pergas igitur pluribus speciminibus celebrior, nec spem nostram frustrabit natura; naturam minimè eventus: pergas, inquam, & credimus fore, quin parentib; gaudium, patriæ ornamentum, nobisq; omnibus ac singulis amor, gloria & delectatio certò futurus sis. d. d. Leucopetræ, Solarib; exequiis ante XIX. Decembr.



§. I.

PHilosophi, quamvis olim naturæ interpretes, & Patres melioris sapientiæ dicti, parùm tamen suis indulgentes speculationib⁹, theoriam rerum humanarum, vel viliorum etiam suscipiendo, neq^{ue} ea sæpissimè quidem, quæ ante pedes fuerunt, intellexerunt: qualem & *Theophrasti* ignorantiam compertam habemus, maximam partem eorum, quæ sciret, minimam, quæ nesciret, dicentis. Quod si ergò tam fallax cognitio reb⁹, externo sensui subjectis, evenit, meritò in rebus à sensu remotis, humanam linguam balbutire concedemus *Scaligero exerc. 359. sect. 5.* quod & ipsum *B. Meisneri* prolatum est: Experiri hoc unumquemq[;] qui angelorum scientiam susciperet, parum enim rationis de iis ex suis principiis hominem cognoscere, illudq[;] tantùm obscure & dubitanter. Nobilissimæ enim creaturæ sunt, spiritus, substantiæ ab omni hominum sensu remotæ, quorum essentia & natura potius ex revelatione divinâ, quàm ex naturæ lumine cognoscuntur.

§. 2. Hæcce verò, quamvis ita sint, vix tamen terrebunt nos ab instituto, nec ullum hinc fore confidemus, qui vitio nobis vertat, rem revelatione cognoscendam, è rationis lumine, in quantum fieri potest, investigare. Liberè enim ac sobriè philosophabimur, de existentiâ, quidditate & naturâ angelorum acturi, benè tamen perpendentes, Philosophiam quærere, Theologiam confirmare, & religionem possidere. Deum interim precamur nostrum, velit nobis suam ad institutum nostrum concedere gratiam.

§. 3.

§. 3. Ut itaqve rem ordine aggrediamur, existentiam angelorum deducere prius, quam eorum quidditatem & naturam declarare, animus est. Quod si enim Non-entis nulla sunt prædicata; rei proprietates vix indagare possumus, de ejusdem existentia adhuc dubitantes: Ubi, si antiquæ Gētilis etiā, Philosophiæ scholas salutabim⁹, ipsum *Aristotelem* postq; hunc alios fuisse, deprehendimus, qui ex cœli astrorumq; motu, separatarum substantiarum cognitionem penetrare voluerunt; putarunt quippè, tot sidera, diversò & contrariò motu gaudentia, æternùm moveri minimè posse, nisi assistentibus formis id ipsum præstarent. Quas formas orbium motrices, uno verbo, Intelligentias appellabant; unicuiq; orbi peculiarem ejusmodi Intelligentiam assignantes, sicuti *Aristoteles L. XII. metaph. c. 6.* & sequentibus, & *IIX. Physicorum*, & ex eo *Scaliger Exerc. ad Cardanum Exerc. 359. dist. 8.* *Franciscus Suarez Metaph. disp. 35. l. 1. n. 39.* *Soncinas 12. Metaph. quest. 1.* & alii adstruere conantur.

§. 4. Aliā viâ ingrediuntur alii: & sicuti demonstratio in genere duplex, vel primi vel secundi gradus est, ita secundùm utrumqve genus, angelos è naturæ lumine demonstrare laborant; Dux inter illos *Thomas 1. part. quest. 50. art. 1.* Quem multi postmodum secuti sūt persuasum sibi habentes, angelorum existentiam, per demonstrationem à priori, sufficienter ostendi posse; prætendentes, nisi natura merè spiritualis daretur, quæ medium esset inter Deum & hominem, fore, quin justa illa & accurata creaturarum series, seu scala, quæ ab infima creatura, usque ad creatorem absolvitur, aliqua in essentiarum confusionem aut formarum vacuum passura sit.

§. 5. Non aliena ab hac videtur esse opinio Parentis *Metaphysicorum (Svarezi)* dicentis. n. 5. Ideò sup-
post-

posita effectus possibilitate solum ex ratione movente divinam voluntatem, & consentaneam fini & intentioni ejus colligere possumus, has substantias non solum esse posibles, sed actu etiam reperiri. Quæ ratione fretum Scheiblerum non possumus non mirari, dicentem: Posito, quod natura angelica sit possibilis, satis bene elicitur, quod etiam de facto sit in mundo: duobus de causis: Nam primo ad perfectionem mundi requiruntur omnes species posibles. Unde si deessent angeli, mundus perfectus non esset, quia isti supponuntur, esse res nobilissimas. Secundo, in essentia angelica significatur maxima angelorum assimilatio ad Deum. Et nulla creatura est, quæ plus participat de attributis divinis: At non est credibile, ullò modo, Deum, cum alias res viles intulerit mundo, eidem non addidisse angelos, tanquam nobilissimum sui speculum, in quo tot perfectiones reluceant.

§. 6. Quicquid verò de triplici hac demonstrandi via sentiendum sit, ille etiam videbit, qui modo intellectum venerabitur oculum.

§. 7. Verum enim verò, ut ad primum Aristotelis aliquid dicamus, candido relinquimus judici quæstionem: Utrum pejus, aut summi Philosophi autoritatem relinquere; aut contra naturam corpori naturali, quod interna motus principia, materiam & formam habet, intrinsecum motum denegare, hincque ex ficto officio angelos probare.

§. 8. Pari Symbolo Thomam hinc mittemus cum suis asseclis. Genuina enim & formalis creationis norma, non in talismodi essentiarum catena, aut articulata distantia, sed in liberrimâ Dei voluntate consistit, quæ creare angelos potuit, & non creare; adhuc tamen, universi perfectione absolutâ & salvâ.

§. 9. Qualem calculum etiam merentur illi, qui à possibilitate rei, ad actualitatem, seu existentiam, ducunt consequentiam; his enim solam materiam primam

mam opponimus, in cuius potentiâ multæ adhuc, quin infinitæ novarum formarum species latitant, à quibus tamen, ut possibilibus, ad actualement earum existentiam nulli hæctenus argumentari licuit; ut omni jure *Mendozae disp. 12. de Intell. creat. sect. 11. §. 10.* exclamationem repetamus: O Deus bone, quàm multa fecisses, si, quæ potuisti, fecisses.

§. 10. Tolerabilior interqve cæteras probabilior *Vazqvæ* & aliorum sententia est, qui ex Magorum & incantatorum operibus, exqve effectibus illis, quos in hominibus energumenis & arreptitiis, accidere videmus, angelorum existentiam defensum eunt. Mirabile enim est, homines, variarum lingvarum ignaros, rerumqve aliarum Idiotas, tantos edere effectus, ut etiam de incognitis intimius sæpè loquantur rebus, effectusqve edant, limitatæ potentiæ spherã transgredientes. Igitur de horum causâ quæri merito potest. Illi ipsi enim effectus, dum naturalem excedunt potentiam, non hominis, neqve ob intermixtas nonnunquam blasphemias & mendacia, DEO imputanda sunt. Ergo alia quædam, inter DEUM & hominem media, creatura sit, necessum est, quæ ipsos actus dirigat, ac cieat, quæ non aliam, quæ angelum esse posse possumus suspicari.

§. 11. Quam tamen ipsam quoque opinionem insufficientem proclamat *Becanus, in Theologiâ Scholast. p. 1. tr. 3. c. 1. q. 1. n. 3. & Gregorius de Valentia tom. 1. disp. 4. qv. 1. ut & alii*, haud sine ratione asseverantes, animam omninò nostram, in statu separationis acceptam, pares reddere effectus posse; animam enim illâ cognitione, lingvarumq; notitiâ, quibus, unita corpori, affvefacta fuit, minimè exui, sed potius, ut volunt allegati autores, ea

ea omnia, quin prorsus potentiam agendi mala, aliaque movendi corpora, obtinere.

§. 12. Ancipiti loco dignabimur sententiam, calculum à gravioribus judiciis expectantes, quem nacti, tutius ejusdem partes tuebimur, iisque obviam, qui ex adverso ob ullius iudicii defectum, separatæ animæ hosce negant effectus: Idem enim pro angelis ex naturæ lumine indicium desideramus, quod tamen non datur; aut, si detur, periculum esse, ne de animabus separatis etiam verificari possit. Verum enim est, certò colligi posse, obsessum variis loquentem lingvis, aliquid seu aliquam causam fovere, cujus beneficio mirandos elicit effectus; colligere verò inde, causam illam esse substantiam simplicem, seu spiritum, idem est, ac rusticorum more, ex grandioribus labiis augurari Hansium.

§. 13. Quod idem etiam responsi loco tunc esse potest illis, qui pro energumenis & arreptitiis, futurorum præscientiam, contra animam separatam urgent. Illa enim, & omnia futura vel naturalem, vel liberam supponunt causam: Si naturalem; æque homo & sic consequenter anima separata, futura, si non scire, conjecturare tamen potest, utpote quâ mediante, homo multa interdum præscire dicitur; si verò futura illa à liberâ causâ dependent, nec ipsi quidem angeli certò aliquid ac determinatè, nisi probabiliter tantum & ex revelatione sciunt.

§. 14. Quicquid verò de hoc sit, sufficiat nobis, angelos ex naturæ lumine, si non completè & perfectè, inchoativè tamen, & secundum quid cognosci. Et quamvis præter hoc nec ullum quidem in tota naturâ vestigium ne præsumere quidem liceret: Sacramen

men de illis revelatio irrefragabilibus testimoniis & luculentissimis exemplis constaretur ; Quibus suppositis , impium ex superiorum seculorum orco resuscitatum dogma damnamus, quâ Epicurus, ejusque filii, hodieque adhuc somniantes, Anabaptistæ, Saducei Veteres, & Novi, Quackeri aliique olim, & hætenus tradere non erubuerunt, angelos peculiare creaturas nō esse, sed potius hōc nomine potentem DEi voluntatem venire, quæ, si bonum, protectione & conservatione rependeret, bonus angelus ; sin verò malum puniendo coërceret, angelus malus diceretur.

§. 15. Exulent à nobis tam execrandæ opiniones, damnataque de existentia angelorum dubia. Nos enim, quibus cœlestis affulsit veritas, aliud edocti, sacra veneramur oracula, quæ disertè hoc affirmant, ut negari, aut saltim in dubium vocari non possit, nisi ab eo forsan, qui vel de certitudine Scripturæ dubitare, vel ejus perspicua verba pro lubitu, in quemcunque vult sensum, torquere audeat. Et tantum de existentia.

§. 16. Quidditatem angelorum quod attinet, breviter eam quoque trademus hoc modo : Angelus est substantia spiritualis, finita & completa : Verum enim verò Angelum substantiam esse nullus sanioris Philosophiæ negabit Amasius, siquidem substantiam de omni spiritu quidditative prædicabilem esse, quis est, qui non videat ? Angeli ergo substantiæ sunt, quia sunt Spiritus. Etenim, si ex Peripatetici sententiâ, omnium consensu approbatâ, aut substantia aut accidens sit, quicquid creatum est, Angelos quoque alterutrum horum esse, negabit nemo : Accidentia esse minimè possunt, cum formali accidentium ratione destituti, nulli inhæreant subjecto.

§. 17. Substantiæ igitur erunt & quidem Spirituales

B

ales

ales, acceptâ voce Spiritus non *Platonice*, pro naturâ quâdam mediâ, inter animam & corpus, quæ diversarum naturarum res uniat, unitasque regat; nec *Physicè*, quatenus à Naturalistis attribuitur 1. tenui ac subtili corpori, 2. aëri, qui respiratione attrahitur & emittitur, 3. corpori tenuissimo, membra pervadenti ex sanguine puriori & vapore genito, quod à nonnullis facultatum & animæ vehiculum dicitur, & triplicem constituit Spiritum, Naturalem, vitalem & animalem; sed *Metaphysicè* pro substantiâ immateriali & incorporeâ, taliqve non absolutè & simpliciter, hoc est, independenti & immutabili, sic enim præcisè Deum intelligeremus, sed in genere pro vivente & intellectu præditâ substantia, prout scilicet incorpoream, & omnis materiæ expertem naturam denotat, & quæ unicè, non nisi de DEO, anima rationali & angelis prædicari potest.

§. 18. Hac significatione angelos dicimus Spiritus, quamvis à Patribus nonnullis, è quibus *Tertullianum, Bernhardum, Augustinum, Athanasium, Lactantium*, nominabimus, corpora appellati fuerint. Per corpora enim non compositum aliquod ex materia & forma, sed realem saltim substantiam, verumq; ens, umbræ enti ficto, & intellectui tantum objecto, oppositum indigitarunt, quo sensu ipsum etiam DEUM corpus appellasse *Tertullianum, Scheiblerus* testatur.

§. 19. Gravius verò erraverunt divinus Philosophus, *Plato*, & qui hunc lecutus est *Porphyrius* & alii, qui angelos vera & composita, adeoq; diversæ naturæ corpora, cælestia scilicet, aëra, aqvea, terreaq; habere commenti sunt: & cæci Judæi, qui assumptis horum Spirituum corporibus decepti, frigus eosdem pati, æstu

æstu affligi, bibere, vesci, dormire instar hominum, somniarunt, quin, quod durius dictum, generare eos asseruerunt, angelum mali cum muliere congressum sæpius factum, urgentes. Ad quod tamen hoc dici potest, quod si fortassis hoc contingat, improprie saltim angelo illud attribui, in assumpto enim corpore virile semen vix angelus producere potest; forsan igitur semen illud virile aliunde arreptum, ad generationes locum destinat, & generare dicitur, in quantum semine virile, cui vis generandi inest, ad uterum transmittit, & sic agentia patientibus applicando, ut generatio fiat, efficit. Neque etiam proprie comedere possunt angeli in assumptis corporibus. Sit enim, ut cibum aliquando assumant, non tamen digerunt eum, concoquunt, & in substantiam corporis assumpti convertunt, quod ad manducationem, & quæ consequuntur eam, nutritionem, augmentationem, proprie requiritur.

§. 20. Dicitur porro angelus substantia spiritualis, finita, completa; quæ verba, si superiora pro vera definitione haberentur, addita iis, tanquam conceptui communi, proprium conceptum seu differentiam specificam exhibere possent. Finitus enim dicitur angelus, quò ab infinito Numine distingvatur, cuius infinitas & ratione essentia & virtutis ratione, omnem producentem causam tum corrumpentem, exuperat; cum Angeli contra, omnesque creaturae essentia & virtute finitæ sint, & productæ, & corruptionis minime expertes.

§. 21. Cui tamen non contradicet *Aristoteles*, quamvis *L. XII. Metaph. c. 6.* intelligentias infinitæ perfectionis esse dixerit; hac enim hypotesi laborabat, ut cre-

deret, intelligentias ipsius Dei effluvia esse, sicque, ut ipse Deus infinita non esse non posse: quò errore correctò, omnis dispallescet contradictio.

§. 22. Æquioris animi in Aristotelem erimus, si citatum locum accuratius introspexerimus, quò mentem ejus plenius assequemur, ut fateri teneamur, probè & haud impertinenter distingvi posse, inter infinitatem essentiaë & existentiaë, & inter infinitatem durationis. Sicque Aristotelem non secundum priorem, sed posteriorem modum intelligentias infinitas esse, voluisse, supponendo, illas quidem entia finita esse, adeoque existentiam aut essentiam infinitam minimè agnoscere; respectu durationis tamen, hoc est, à parte post nullum finem habituras.

§. 23. Est quoque angelus & dicitur completus, quo vocabulo præcisè ab anima rationali distingvitur. Enim verò, anima rationalis æque substantia spiritua-
lis finita est, sed incompleta, quia naturaliter ad totum constituendum, h. e. ad corpus ordinatum est, à quo non quidem, secundum esse suum, sed secundum operationes suas in agendo, dependeat; unde etiam forma hominis, intellige corpus humanum, informans appellatur. Quia igitur hoc modo angeli non ordinantur ad constituendum compositum, ideò angeli non sunt incompletæ sed completæ substantiaë.

§. 24. Brevitatis studium amantes properamus etiam paucis ad angelorum naturam. Placet autem nobis naturam hîc accipere pro temperamento physicaë alicujus qualitatis, sicuti e. g. Leonem calidæ naturæ esse dicimus; ab hoc enim exules sunt Spiritus: nec pro essentia rei, hanc enim retulit antecessens quidditatis tractatio, sed pro dispositione ac comple-

xu nonnullorum attributorum, actionum, aliorumq;
adjunctorum.

§. 25. Ita ex attributis primum, quod ponderabi-
mus, erit simplicitas, quod attributum non eò sensu ac-
ceptandum est, quasi in angelis prorsus nulla compo-
sito reperiatur, sed dicuntur illi propterea simplices,
quia non sunt compositi ex materia & forma, nec ex
partibus integrantibus. Nam aliàs dantur in ipsis aliæ
compositiones, ut 1. ex subjecto & accidente, quando-
quidem justitia, scientia, act⁹, ubi, & id genus alia, quæ
iis insunt, accidentia sunt, & realem in ipsis compo-
sitionem important. 2. ex essentia & subsistentia; quæ
duo in creatis realiter cum differant, in angelis com-
positionem realem inferre non negabimus. 3. Ex
subjecto verò, & quantitate, realem composi-
tionem in illis qui fingit, *Vorstio* absurdior est, qui inter quã-
titatem molis & virtutis distingvere nescit, cum Scri-
ptura sacra, quando DEum & angelos magnos appel-
lat, posteriorem quantitatem intendat. 4. ex subje-
cto & actione; sit enim actio aut immanens, ut intelli-
gere, aut transiens, ut Mariæ Immanuelis nativitatem
enunciare; tamen distinctum quoddam ab eorum es-
sentiâ constituetur.

§. 26. Quando itaq;ve angelis dicitur convenire
simplicitas, tunc illa non est absolutè talis, sed tantum
secundum quid, & respectu certi generis composi-
tionis, quia in illis, ut dictum, non datur compositio ex
materia & forma.

§. 27. Simpliciter brevius excipit scientia;
quam sepositò vocis rigore, & adhuc liberalius lo-
quendo, (ut multa in unum contrahamus) intellecti-
vam dicemus. Ubi non intactum præterire possumus

eorum errorem, qui angelorum intellectum, ad primum eorum conceptum referre student, idque inde stabiliri putant, quia, si intellectio accidens esset, fore, ut angeli intelligendo fatigarentur nec nobilissimæ essent substantiæ, utpote quibus perfectio quædam ex intellectu accederet. Ast enim verò, quis non videt, has rationes nullius esse ponderis? Nam exinde nequaquam sequitur, angelos in intelligendo fatigari, quia illorum intellectio est accidens. Quod enim homines speculationibus nimium intenti, fatigantur, non ex eo est, quod ipsorum cognitio est accidens realiter productum; sed inde provenit, quod in contemplando, organis corporeis adjuvantur, quæ nimia spirituum vitalium resolutione fatigantur. Neque alterum pro absurdo habemus, quod scilicet angelis per intellectum aliquid perfectionis accedat. Sunt quidem substantiæ in suo genere perfectæ, finitæ tamen & perfectæ tanquam creaturæ.

§. 28. Et certè multas hæc sententia secum traheret absurditates. Fieret enim, quin angelus etiam ratione essentiæ, mutabilis foret, perinde ut in intelligendo, siquidem intellectio maximè variari potest, cum ille multa cognoscat habitu, quæ actu non semper cognoscit, idque, quia vel non potest ad omnia attendere, vel quia non vult.

§. 29. Quomodo verò angelus cognoscat aut intelligat, non una Scholasticorum sententia est. Misiss aliis, hanc unicam saltem breviter tangemus: quomodo angelus cogitationes & conceptus alterius angeli cognoscat? Ubi si etiam quoad hoc Aristotelem considerabimus, locutionem angelis, tanquam medium ad communicandos conceptus tribuere possumus.

mus. Non verò tam de locutione, quàm de ejusdem locutionis modo quærentes, plaustra illa & onultas quasi naves ad tres potissimum classes redigemus: quarum prima eorum est, qui statuunt, angelorum locutionem, in respectu ad DEum, & unius angeli ad alterum expediri per meram formationem propositionis, seu ideæ, in intellectu angelico. Quod angelus in angelo intueatur, & intuendo intelligat ideam & loco loquentis habeat. Altera classis est eorum, qui censent, locutionem angelicam consistere, in impressione physica speciei intelligibilis hujus angeli in altero angelo, ita quidem, ut unus angelus assumat aliquam speciem intelligibilem ex suo intellectu, & eandem impressione propriè dictâ imprimat alteri, e. g. ut angelus hîc locuturus ad illum angelum, speciem intelligibilem intra se nunc formatam, alterius angeli intellectui imprimat. Tertia Classis deniqve est eorum, qui asserunt eam consistere non in impressione quidem physicâ, quippe quæ crassa nimis esset, tamen in impressione morali, hoc est, in directione hujus speciei intelligibilis in hoc angelo præcisè ad alium.

§. 30. Primam Classem meritò relinqvimus. Quod si enim angelus angelo conceptus suos per propositionem nudam speciei intelligibilis manifestaret, esset, quin, quando angelus soli & uni angelo conceptum exprimere vellet, omnibus aliis angelis simul exprimeret, cum tamen maximè dubitandum, ne unus ad alterum loqui possit, non audiente & observante tertio aut quarto.

§. 31. Secundæ (in quantum tertiæ magis) Classi nostrum interea dabimus calculum, utpote quæ Bonavent. 2. dist. 10. art. 3. qu. 1. Suarez. L. II. c. 27. & 28. Aureol. :
dist.

dist. 3. q. 1. art. 1. Gabriel. dist. 9. q. 2. art. 4. aliisque pluribus arridet.

§. 31 Nec verò auctoritate solùm, sed etiam ratione magis nitentur. Probabiliùs quippe est, angelum loqui alteri angelo imprimendo eidem speciem intelligibilem, quæ ipsa repræsentet interiores actus & conceptus. Sicut enim homo homini loquitur, manifestando conceptus interiores: ita angelus loqui dicitur angelo, suos dum conceptus & actus internos alteri manifestat, ita, ut alter actu cognoscat, siue ex potentiâ cognoscente fiat actu cognoscens.

§. 32. Ipsam autem scientiam angelorum, quæ de futuris est, quod attinet, illa non absoluta, sed limitata est; Notâ enim de futuris differentiâ, superius insinuatâ, quâ alia futura ex causis naturalibus, necessaria, alia ex libera potentia, contingentia hæcquæ; iterum, vel ut plurimum, vel ut rarò contingentia fiunt; angelis primum duntaxat præsciendi modum, qui naturalium est, & ex posteriori, illum, qui ut plurimum contingentium est, tribuimus. Ea enim, quæ rarissimè eveniunt, minimè, nec probabiliter quidem, nisi ex revelatione, cognoscendo assequuntur; unde Diabolus per oracula olim tot amphiboliis utebatur.

§. 33. Multo magis etiam secreta cordis humani, soli Deo, renu cordiumque scrutatori manifesta præscire, manifestis iis negamus.

§. 34. Sic & miracula vix & ne vix quidem præstabunt, miraculum enim effectus est, qui naturalem omnem potentiam excedit. Quod si autem angeli in numero agentium naturalium continentur, patet etiam illos, nihil, quod naturæ vires excedit, effecturos. Unde distingvere fortassis licet à mirabilibus, quæ angelos sæpius produxisse, scimus; sunt enim ea utcumque effectus, quarum causæ nos latent, etsi vel maximè sint naturales; quatenus sc. agentia naturalia passivis applicantur, ut insoliti effectus inde orientur, qui mirabiles dici solent, cum homines non satis assequi possint eorum productionem; miracula tamen non sunt, quia fiunt ab agentibus naturalibus.

✓
00 A 6436

ULB Halle 3
004 931 300


KD 18






8
7
6
5
4
3
2
1
19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8

B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



84

CLIS.
DE
Riemer/
LXXIV.
SCULTETUS,
O R.
TRÆ,
S BRÜHLÆI.

